



The Holy See

PIUS PP. XILITTERAE APOSTOLICAEDECESSOR NOSTER* PRIMARIAE OPERAE APOSTOLICAE A IESU
CHRISTO OPERARIO SEDES PRAECIPUA A CIVITATE GENEVENSI AD ALMAM URBEM TRANSFERTUR SUB
IURISDICTIONE MAGISTRI GENERALIS O. P.

Ad perpetuam rei memoriam. — Decessor Noster rec. mem. Benedictus Pp. XV, Litteris
Apostolicis sub anulo die VIII mensis Aprilis anno MDCCCCXXI datis, *Operam Apostolicam a Iesu
Christo Operario*, canonice institutam in paroeciali ecclesia ad Sanctae Clotildis in urbe
Genevensi, in Primariam sive Centralem cum consuetis privilegiis erexit; eiusdemque nunc
Primariae Operae ut sedem centralem transferre dignemur, Nos enixis precibus rogat parochus
Genevensis ad Sanctae Clotildis, qui studiosus ipsius Operae moderator est. Refert quidem ipse
curio Apostolicam eandem Operam a Iesu Christo Operario Religiosorum Patrum Ordinis
Praedicatorum praesertim labore habuisse incrementum; proindeque ipsius Operae curam eisdem
Patribus Praedicatoribus peropportune committendam esse. At cum Ordinis laudati non exstant
sedes sive domus intra Genevensis dioecesis fines, probante quoque Lausannensium,
Genevensium ac Eriburgensium Episcopo, Nos, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus
Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacrae Congregationi Concilii praepositis, hisce
Litteris, auctoritate Nostra apostolica, centrum seu sedem praecipuam Primariae Operae
Apostolicae a Iesu Christo Operario nuncupatae ab ecclesia Genevensi paroeciali Sanctae
Clotildis ad hanc almam Urbem Nostram transferimus, ita ut ex nunc et in posterum eadem
Primaria Opera sub iurisdictione Magistri generalis Ordinis Praedicatorum posita apud eiusdem
Magistri Generalis domum sive sedem exsistat.

Haec, quae ad emolumentum praelaudatae Operae provehendum in Domino statuimus,
mandamus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac
permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent,
sive pertinere poterunt, amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum,
irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quoquam, auctoritate qualibet,
scienter vel ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Iulii anno
MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.*

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

A.A.S., vol. XXI (1929), n. 1, pp. 99-100

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana